Philologis Germanicis Dresdam convocatis gymnasii regii nomine ut salutem dicerem rogatus primo coniecturas ad Plauti Militem Gloriosum spectantes cum hominibus doctis communicare animum induxeram. Deinde autem permotus Fr Leonis potissimum libro ingenii doctrinaeque pleno qui inscribitur '*Plautinische Forschungen. Berl. 1895*' mutato consilio in compositionem Militis Gloriosi inquirere constitui, quo de argumento in eis quae sequentur accuratius disputabo adiectis in fine perpaucis tantum coniecturis ex illo numero qui omnis alio loco in publicum prodibit.

I.

Compositio Militis Gloriosi cum prius plerumque a fabulae interpretibus magna laude esset ornata, recentioribus temporibus non minus saepe in vituperationem hominum criticorum incurrit. Menda autem ac vitia quibus fabulae compositio laboraret plurimi eorum qui huic rei investigandae operam dederunt inde repetere posse sibi visi sunt, quod Miles Gloriosus esset in contaminatarum fabularum numero. Quo contaminandi vocabulo si utar, hoc brevitatis causa faciam, dissentiens enim a WAGrauerto '*Über das Contaminiren der lateinischen Komiker*' *in* '*Analect. hist. et phil. Monast. 1833*' *p. 118 sqq. 205* persuasum habeo contaminandi significationem non carere aliqua reprehensione neque umquam esse usurpatam ab ipsis poetis qui hanc componendi rationem adhibuerunt, sed tantummodo a malignis eorum obtrectatoribus. Atque ea quidem suspicio, qua haec fabula a Plauto non ex una comoedia Attica expressa, sed ex compluribus comoediis confecta ac quasi conglutinata esse creditur, primum nata est ante hos sexaginta annos.

De ratione tamen contaminationis admodum inter se discrepant hominum doctorum sententiae. Ac tripartito meo quidem iudicio dividendi sunt contaminatae fabulae defensores:

a) uno genere ei continentur qui in Milite Glorioso nihil amplius ex alio fonte depromptum esse putant nisi primam fabulae scaenam,

b) altera opinio est fieri potuisse ut breviores partes Militis Gloriosi a poeta contaminando adiungerentur nec tamen prima illa quam dixi scaena,

c) tertium genus est eorum qui contaminandi rationem in Milite Glorioso latissime patere arbitrantur.

Verum ne nostris quidem temporibus defuerunt qui hanc fabulam non contaminatam, sed integram ex integra comoedia Graeca a Plauto expressam esse censerent: quo in numero est J Brixius in priore fabulae editione *(Lips. 1875)* — in altera *(Lips. 1883)* incertus est, quid de hac quaestione iudicandum sit — et J L Vssingius in editione anni 1882 (altera huius fabulae editio Vssingiana in manus meas non venit).

De quibus hominum doctorum opinionibus nunc eo ordine quo in lucem prodierunt exponendum videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque opinionem littera *a* designatam primus protulit archaeologiae professor Lipsiensis GABeckerus in libello qui inscribitur '*de comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis. Lips. 1837*' *p. 83.* Putat enim primam fabulae scaenam e Menandri Colace a Plauto esse adsumptam. '*Quum intelligerem, scenam primam Militis Gloriosi ab Eunuchi (Terentiani) act. III sc. 1 ad summam non differre, sermones tamen alterius Atticum, alterius Romanum prodere ingenium, magis magisque mihi persuasi, ut ad unum exemplum utramque factam crederem. — Non equidem dico, Militem Gloriosum eandem fuisse fabulam quam Colacem.... Ita potius existimo, eandem, quam e Menandro dedit Terentius, scenam Plautum Militi suo adiunxisse. Vide enim, quam laxo vinculo praemissa ipsi prologo scena cum reliqua fabula coniuncta sit. Parasitus, cui non ultimas partes datum iri exspectaveris, semel hic in scenam prodit. Mox ad Seleucum regem missus dicitur; nimirum quia tota eius persona ab argumento fabulae est alienissima. Palaestrio enim assentatoris partes agit, quo militem fallaciis suis irretire possit. Palaestrio autem illorum consilia perspexisset. — Puto, in prima archetypi scena Pyrgopolinicem cum Palaestrione esse collocutum, Plautum illam praetulisse scenam.*

Beckero assentitur ThLadewigius in scriptiuncula scholastica '*Über den Kanon des Volcatius Sedigitus. Neustrelitz 1842*' qui libellus nunc rarissimus — in bibliotheca regia Dresdensi et in bibliotheca universitatis Lipsiensis desideratur — hodie ab hominibus doctis afferri saepius quam inspici videtur. Dicit autem Ladewigius p. 28: *Ich bin durch fortgesetztes Studium des Pl. zu der Überzeugung gekommen, daſs nicht nur der Epid., sondern auch die Bacchides, Captivi, der Miles gloriosus, Pseudolus, Truculentus und vielleicht auch der Stichus und selbst der Trinummus contaminirt sind;* idem p. 31: *Leichter ist es nachzuweisen, daſs auch der Mil. glor. contaminirt sei. Schon Becker hat bemerkt, daſs der erste Akt, auf den erst der Prolog folgt, mit dem Stücke selbst in gar keinem Zusammenhange stehe und nur als Paradescene anzusehen sei, in welcher der Officier den Zuschauern in seiner ganzen nichtigen Ruhmredigkeit, Eitelkeit und Dummheit vorgeführt wird. Auch ist die Vermutung Beckers sehr wahrscheinlich, daſs Pl. diesen Akt aus dem* Κόλαξ *des Men. genommen habe; nur der Annahme, wir hätten in diesem Akte dieselbe Scene aus dem* Κόλαξ, *die Terent. in seinem Eunuch. bearbeitet habe (III, 1), möchte ich nicht beitreten. Gewiſs erschien der Officier mit seinem Parasiten in dem Drama des Men. öfter, als nur in jener Scene, gehören doch auch von den sieben Fragmenten dieses Stücks offenbar drei (nämlich I, II und IV) einer Unterredung zwischen beiden an. Aus einer dieser Scenen also konnte Pl. seinen ersten Akt entlehnen, die übrigen aber nahm er aus dem* Ἀλαζών, *den er im Prolog selbst als sein Original nennt. Denn der Vermutung Wolffs proleg. ad Aulul. p. 18, daſs Pl. seinen Mil. nicht aus einem bestimmten Griechischen Drama übersetzt habe, und daſs* Ἀλαζών *nur ein genereller Name sei, kann ich durchaus nicht beitreten: sind doch* Κόλαξ, Παράσιτος, Δύσκολος *cet. nicht weniger generelle Namen, und wenn auch sonst kein Griechisches Stück unter dem Namen* Ἀλαζών *bekannt ist, so kennen wir doch von den 108 Dramen des Men. nur die Titel von 90, von den 100 des Diph. nur gerade die Hälfte, von den 97 des Philem. nur 57. Grotius findet zwischen zwei Stellen des Mil. und einem Fragmente des Philem. eine Ähnlichkeit, nämlich zwischen III. 3, 8* meretricem commoneri, Quam sane magni referat, mihi clam est, *und 14—15:* Si quid faciundum est mulieri male atque malitiose, Ea sibi immortalis memoria meminisse et sempiterna *mit fr. inc. 78:* γνωμὴν πονηρὰν τῇ γυναικὶ μὴ δίδου· | ἐλαφρὸν τὸ γένος γάρ ἐστι καὶ λίαν κακόν, *doch scheint mir diese Ähnlichkeit zu entfernt, als daſs sie die Annahme eines von Phil. verfaſsten* Ἀλαζών *irgendwie rechtfertigte. Mit mehr Recht glaube ich die Vermutung*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aussprechen zu dürfen, Men. sei der Verfasser des Ἀλαζών. Vielleicht enthalten nämlich die letzten Worte von fr. inc. 38: οἷος δ' ἀλαζών ἐστιν ἁλιτήριος *eine Anspielung auf den Titel des Stückes, denn die Komiker liebten es, auf solche Weise im Stücke selbst den Titel desselben zu rechtfertigen; ich verweise deshalb nur auf Trucul. II, 2, 10:* 'nimis quidem hic truculentus.' Cf. praeterea quae affert idem Ladewigius in Pauli '*Real-Encyclop.*' sub voce Plautus *p. 1733 et in Philologi vol. XVII 1861 p. 261.*

Ipse quoque FrRitschelius in commentatione quae inscribitur '*Die fabulae Varronianae des Plautus*' composita annis 1843 et 1844 et recepta deinde in Parerga *p. 101* dicit, quam opinionem postea etiam in scholis academicis defendere solebat, veri simile esse fabulam Graecam, quam imitatus sit Plautus in Milite Glorioso, prima illa scaena caruisse, depromptam autem eam esse ex alia fabula Attica nec tamen e Menandri Colace, quae Beckeri sententia fuerat, sed fortasse ex Diphili comoedia, cui nomen erat *Αἰρησιτείχης.* Quae sententia quasi hereditate tradita cum sine dubio falsa sit, optandum est ut nunc evanescat ex litterarum historiis.

Primam scaenam aut e Menandri Colace aut ex illa fabula Diphili contaminando adscitam esse etiam WABHertzbergius sibi persuasit in versione laude digna selectarum Plauti comoediarum *Stuttg. 1861 praef.* p. XXIX, XXXII et p. 357.

Eandem de hac scaena opinionem invenio in scaenicis quaestionibus Plautinis GHahnii *Gryphisw. 1867 thes. II:* '*Militis gloriosi primus actus additicius esse videtur.*'

Atque etiam ALorenzius in editione Militis Gloriosi huc pertinet, de quo tamen infra p. 9 accuratius erit disputandum.

Sed supervacaneum est diutius immorari in refellenda opinione eorum, qui Militis Gloriosi scaenam primam ex alio fonte fluxisse arbitrantur. Quamquam enim verum est, quod dicit Lorenzius p. 32 editionis alterius, talium scaenarum ornatum in permultis fabulis comoediae Atticae locum habuisse, — huiusmodi fabularum titulos collectos vide in ORibbeckii libro bellissimo qui inscribitur '*Alazon*' *p. 80 sq.* — quamquam non minus verum est talem scaenam ex comoediae alicuius Graecae compagibus solutam facillime collocari potuisse initio alterius fabulae: haec scaena ad nullam aliam fabulam pertinuit, sed iam inde ab initio cum Alazone coniuncta i. e. pariter atque in fabula Latini poetae prima eius pars fuit. Quam rem cum ORibbeckius p. 52 veri simillimam esse dixisset '*ich sehe keinen zwingenden Grund zu der Annahme, dafs die Figur des Artotrogus dem griechischen Alazon gefehlt habe und einem andern Original durch Contamination entlehnt sei*', multo confidentius etiam FrSchmidtius '*Untersuchungen über den Miles Gloriosus des Plautus*' in Fleckeiseni annal. vol. suppl. IX. Lips. 1877/78 p. 391 sqq. (quamquam vide infra p. 9), pro certo affirmavit FrLeo p. 161 sq., quocum ego prorsus consentio. Lorenzii enim hac de re opinio non potest non mira videri. Qui cum praesertim verissime iudicaverit de scaenae praestantia, quem ad modum dicere possit Plautum demum perspexisse et utilissimam eam esse et huic loco accommodatissimam, ego quidem non intellego. Notum est illud Ovidii quod dixit de homine qui quae ante oculos sunt non animadvertit: *frondem in silvis non cernit.* Quae scaena ut in Graeco exemplari non praemissa fuerit, qualis tandem illius expositio quam dicunt fuisse creditur? Tota enim fabula qualis nunc habetur cum 1437 versus contineat, versu 947 militem primum prodisse in scaenam num credibile videtur? Pyrgopolinices primarum partium actor quin in extrema demum fabula produceretur, fieri nullo pacto potuit. Atque ipse quoque poeta Graecus, quisquis fuit, callidior ac prudentior fuisse est iudicandus, quam ut animo non perceperit, non solum quantam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

utilitatem praeberet, verum quam necessaria utique esset huius scaenae adiectio. Omnia igitur, quae hanc in rem affert Lorenzius, non dubitandum est quin infirma sint atque caduca. Quare si militi in forum proficiscenti 72—78 convenit miles a foro rediens 947 sqq., si in actibus II et III iterum iterumque Pyrgopolinices in foro esse dicitur (242, 395, 404) 578 (de versu 806 infra disputabitur p. 23), si Palaestrio, ut militem secum abducat, in forum abit (799 sq.) 930—933: haec omnia credendum est non poetae Latino tribuenda esse, sed exstitisse eadem in Graeco fabulae exemplari. De versu 858 sq. cf. ea quae p. 7 dicentur. Praeterea alia causa, quae non fugit Fr Schmidtii sagacitatem, alicuius momenti videtur esse. Etsi enim in Plautinis Terentianisque comoediis sat multi inveniuntur milites, in nulla tamen earum, sicut in hac fabula, miles habetur tanta stultitia tantoque sui amore obcaecatus, ut omnibus se mulieribus placiturum opinetur, qua in re nititur omnis ratio militis decipiendi. Quam ob rem non potest non magnam vim habere, quod singularis haec militis iactatio iam in prima illuditur scaena, ex quo miro morum consensu illud iure suo colligit Schmidtius, scaenam etiam in Alazone hoc loco fuisse. Nec mihi dubitationem movet, quod in prima scaenae parte in versibus 1—54 ridiculum illud militis vitium omittitur, in quibus versibus parasitus militem adulatur virtutes eius exaggerando: qua in re offendit Schmidtius. Nimia enim virtutum praedicatio militi non minus apta est quam pulcritudinis et si in reliqua fabula numquam reditur ad illam rerum gestarum famam, hac in re non vitium, sed virtutem poetae agnosco. Quid enim attinet denuo redire ad rem plane explicatam? Praeterea illa verba, quibus utitur miles v. 947 sqq., ubi in scaenam revertitur, aptissime conveniunt ad inanem pompam primae scaenae. Atque ut poeta in prima fabula militis vanitatem et venditationem depinxit, sic in altera scaena alterius actus v. 235 sqq. Palaestrionem de incredibili eius stultitia et stupiditate loquentem fecit. Haec omnia eximia arte facta mihi videntur: coniuncta demum quae in his duabus scaenis inest morum descriptione militis gloriosi natura plane perspicitur, dempta alterautra eius perversitate militis imaginem imperfectam relinqui concedendum est. Qua re non possum probare, quod Schmidtius versus 1—50 (54), in quibus nonnulla sint inficetiora quam ut hominibus Atticis placere potuerint, a poeta Latino adiectos esse putat. Sine dubio, ut facere solet, hoc loco insulsam militis fatuitatem Plautus in maius extulit, summam autem rei e Graeco exemplari sumpsit. Adicio Artotrogum parasitum quasi exemplum ac specimen personarum protaticarum mihi videri. In nulla enim fabularum ex antiquitate nobis servatarum causa, cur persona aliqua abscedat neque umquam per totam fabulam revertatur, ita sub oculos cadit, ut in hac ipsa comoedia; cf. v. 72 sqq. et 948.

Vt igitur rem brevi praecidam: totus hic actus quamvis nonnullis liniamentis ex Attica urbanitate in rusticitatem mutatis sumptus fuit ex Graeco exemplari. Quod autem locum habet ante fabulae prologum, id adeo non offensioni est, ut, cum ea re optime a prologo transeatur ad reliquam fabulam, nihil hoc invento elegantius praestantiusve excogitari possit. Qua re hanc opinionem, si quid video, aperte falsam nunc missam facio, venio ad alteram *(b)*.

Si non prima scaena Militis Gloriosi, at aliae tamen vel partes vel particulae ex alia comoedia Attica profectae contaminandi causa a poeta Latino adsumptae esse possunt, quae est mea ipsius sententia. Quantum enim coniectura auguror, hoc modo altera scaena actus tertii, ubi Lucrio inducitur, cum Alazone coniuncta est, cui fabulae erat per se aliena. Lucrionis enim persona personarum numerus in Milite Glorioso per se satis magnus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

augetur. Cum autem aliae personae aut necessariae sint aut saltem cum fabulae argumento apte cohaereant, hoc idem de Lucrione dici nullo modo potest: producitur, nihil facit quod pertineat ad rem, abit, numquam in scaenam redit. Quam ob rem existimo hanc Lucrionis personam, quam spectantium cachinnos excitaturam bene sciret, nulla alia de causa nisi ut Romanis auribus indulgeret a Latino demum poeta adiunctam esse de fabulae necessitatibus securo. Atque scaenam per se esse eximiam et e magni artificis manu profectam libenter concedo Lorenzio, qui tamen in hac re sine dubio erravit, quod eius inventionem ipsi Plauto tribuit. Cur enim poeta Latinus de suo eam addidisse putandus sit, difficile est ad intellegendum: immo ex alia comoedia Graeca eam adiecit.

Sed nolo in hac quaestione longus esse, omnia enim quae in eam rem afferri possunt, cur scaena in Graeco exemplari locum non habuerit, vide apud Fr Schmidtium p. 379—384. Quamquam eius de scaenae origine sententiam minime probo. Putat enim eam ab retractatore aliquo in alia Plauti fabula repertam Militi Glorioso adnexam esse (p. 386). Quibus ambagibus mihi videretur utendum esse, si argumentorum gravitate comprobari posset totum locum in genuina Plauti comoedia nondum exstitisse: sed haec argumenta desiderantur. Quae cum ita sint persuasum habeo mirae virtutis comicae scaenam a Plauto esse insertam idque ipse quoque Schmidtius significat p. 389. Omnia enim quae nobis de contaminandi ratione nota sunt, eiusdem sunt generis et si accuratius examinaverimus Terentiana exempla contaminatarum fabularum, de quibus auxilio Donati aliquanto saltem certius iudicari licet, rem ita se habere nobis persuadebimus. Credo igitur versus 813—817 ex Alazone fluxisse, a Plauto autem fabulae accommodata esse quae sequuntur. Versus quos interponit Palaestrio ita suapte natura comparati sunt, ut etiam alii alicuius comoediae servo conveniant, quamquam Schmidtius sine dubio nimius est qui Palaestrionem huius scaenae longe diversum esse dicat a reliquae fabulae Palaestrione. Quae enim Palaestrionis verba hac in re respicere potuerit, ego quidem nescio. Versus 863 sq. a Plauto additi sunt, ut quae erant aliena cum Alazone coniungerentur, eadem de causa etiam versus 867—869 facti sunt. In Graeca fabula, ubi Sceledrus a Palaestrione evocatus non procedit, veri simile quidem non est hunc statim transisse ad ea quae apud Plautum v. 870 leguntur, id quod per se fieri potuit. Quod enim Schmidtius p. 388 Palaestrionem videri hoc loco aliquantisper secum locutum esse dicit, id ad Graecum exemplar translatum veri similitudine minime caret. Verum qualis Alazon in hac parte fuerit investigare non est huius loci: in Plauti autem fabula haec scaena videtur locum habuisse. Quae cum ita sint, ego quoque Militem Gloriosum refero in numero contaminatarum fabularum.

Disceptanda hoc loco est alia res magni ponderis illa quidem, nisi fallor, ad diiudicandam hanc quaestionem ac coniuncta artissimo vinculo cum Lucrionis scaena. Si enim Sceledrus,[1]) qui versu 582 alio se abiturum professus erat, in hac scaena versatur domi militis et ebrietate sola quominus exeat impeditur, mirum sane hoc est atque ineptum neque veri simile est in Attico exemplari rem ita se habuisse. A Plauto autem tale quid committi potuisse non negaverim nec cur Fr Leo p. 166 tanta asperitate Ribbeckii sententiam impugnet intellego: verum tamen nihil commisit Plautus, si quid video. Sceledrum enim in una aliqua

1) Vnde Sceledro nomen impositum sit nesciri dicit Goetzius in praefatione editionis maioris p. XX. Fr Ritschelius, praeceptor meus dilectissimus, in scholis profitebatur significari hoc nomine hominem orientalem suppositis feminibus sedentem (ἡ ἐν τοῖς σκέλεσιν ἕδρα), quam nominis originationem num ipse invenerit nescio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

actione scaenica huius fabulae revera in militis domum abisse — id quod ad fidem Lucrionis scaenae afferendam gravissimum est — perspicitur ex versu 585.

In fine enim actus secundi quin complures recensiones deprehendantur inter se repugnantes nemo poterit dubitare. Qua de re dixi in commentationibus Fleckeisenianis (Lips. 1890 p. 177), quamquam de hoc ipso loco nunc aliter iudico. Versu igitur 584 Sceledrus in locum longinquum discedit: ad hanc recensionem pertinent versus 576—584 vel saltem 581—584 et 586—595. De v. 588, qui quem ad modum cohaereat cum eis quae antecedunt non liquet, nolo nunc plura dicere. Sunt qui lacunam hic esse statuant, fortasse tamen versus spectat ad tertiam aliquam recensionem. Ab illis igitur quos dixi versibus diversae est originis versiculus 585, qui quidem, nisi etiam versus 576—580 ad eam ipsam pertinere putantur, solus ex hac fabulae recensione restat. Hic versus in editionibus eici solet: sed quid sibi vult ista eiectio? De glossemate hoc loco cogitari minime potest, sine dubio igitur versus aliquando in scaena pronuntiatus est. Quod si verum est, nihil repugnat Lucrionis scaenae, immo omnia recte se habent atque id unum quaeritur, uter locus sit a Plauto profectus: ille in quo Sceledrus alio proficiscitur an hic in quo domum se confert. Illam sententiam critici probant ad unum omnes et ipse quoque antea probavi. Ac negari sane non potest illum actus finem habere quo commendetur, a Plauto tamen eum esse confectum inde minime efficitur. Qui si post aetatem Plautinam adiunctus esse existimatur (qua de re cf. Th Ladewigium in Philologi vol. XVII p. 260), simul versus 576—584, quibus Sceledrus in longinquitatem se iturum declarat, auctoritatem suam amittunt, deinde incommodum concilium repugnans illud quidem tertii actus initio ac ne dignum quidem, ut mihi videtur, Palaestrionis imperio aufertur, simul deletur ille scrupulus quem simillimus vel potius idem et Sceledri et Lucrionis e scaena discessus FrLeoni moverat cf. '*Plautinische Forschungen*' *p. 166*. Hoc concilium cur huc inferserit retractator sane ignoratur, illud autem videtur manifestum esse ab eodem homine conscriptos fuisse ipsos quoque versus 612—615 (fortasse etiam proximos), qui cum initio eiusdem scaenae v. 598 consociari non possunt. Conferatur ad hanc rem Fr Schmidtius p. 359, qui tamen ad longe diversam de hac re sententiam pervenit. Apparet igitur hoc additamento vere Plautina praeter versiculum 585 exstincta esse neque id mirum esse potest. Nam si duo exitus actus secundi exstabant in histrionum exemplaribus, et Plautinus et alter a retractatore confectus, illi homini qui hos versus adiciebat, quisquis fuit, id sine dubio agendum erat, ut sua ab histrionibus bene legerentur. Veluti enim nos in talibus rebus facere solemus, ut nova histrionibus facilia sint ad legendum, de genuinis poetae verbis plane securi, sic etiam veteres fecisse est consentaneum; quo factum est ut in codicibus principalia interirent, remanerent adulterina. Quod si versiculus ille residuus faceti vel ingeniosi quid prae se ferret, nemo de eius origine Plautina dubitaret, sed quamquam inanis est per se, non tamen impedimento est quin quae perierunt optima fuisse credantur ac meliora etiam eis quae servata sunt.

Non ignoro haec omnia quae disserui de his versibus inverti posse ac retentis versibus 576—584 et 586—595 Lucrionis scaenam improbari. Quae tamen retractationis speciem minime prae se fert, Schmidtii autem opinio, quam supra commemorabam, qui hanc scaenam a retractatore ex alia Plauti fabula in Militem Gloriosum translatam esse fingit, speciosior mihi videtur esse quam verior.

Fortasse aliquis etiam alio fabulae loco contaminationis Plautinae vestigia deprehendat: primam scaenam actus tertii dico. Inveniuntur ibi sane quae non coaluerint cum fabulae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

argumento ac nullo negotio ex alia comoedia Graeca depromi potuerint, in qua comitas et urbanitas caelibis cuiusdam senis descripta erat. Sed omnibus rebus perpensis ego non credo illa a Plauto per contaminationem adiecta esse. Qua de re vide infra p. 20.

Restat ut exponam de tertio genere hominum criticorum *(c)* contaminationem in Milite glorioso latissime patuisse arbitrantium.

Priusquam autem ad rem ipsam accedam, unum commemoro: cum homines docti qui in hoc genere afferendi sunt, duos potissimum fontes Graecos comoediae Plautinae exstitisse putent, ego ut brevitati serviam, Alazonem, ignoti cuiusdam poetae fabulam, quod principale creditur exemplar fuisse, littera *A*, quod vero secundarium exemplar Graecum existimatur, ignotam fabulam ignoti cuiusdam poetae, littera *B* significabo. Ad exemplar *B* autem omnia ea referri quae ad perfossum parietem spectant non est quod moneam.

Primus omnium ThLadewigius in studiis Plautinis Philologi volumini XVII (1861) insertis p. 260 sq. affirmavit in *B* Philocomasium non solum ut Sceledrum deciperet duarum sororum vice functam esse, sed ipsum quoque militem eadem simulatione ab ea esse deceptum. Exemplari *A* autem eam rationem rei agendae subesse, quam Palaestrio v. 765—803 explicat, nisam illam quidem in militis ostentatione ac libidine. Atque ex *B* sumptos fuisse actus primum et alterum fabulae Plautinae, praeterea ex tertio versus 610—764 et 805—812, reliqua omnia esse ex Alazone *(A)*. Etiam Artotrogi personam protaticam inde videri repetendam esse, quod haec scaena ex *B* deprompta sit. Haec Ladewigii sententia est quem antea aliter cogitasse de hac prima scaena supra p. 4 sq. dictum est.

Multo longius in comprobanda contaminatione progressus est ALorenzius in duabus fabulae editionibus (Lor.[1] 1869 p. 36 sqq. Lor.[2] 1886 p. 31 sqq.), qui ad componendam fabulam Latinam quattuor fabulas Graecas adhibitas et unam scaenam totam a Plauto de suo affictam esse opinatur.

Alterum enim actum esse ex *B*, perfossi parietis fabula, ex *A* autem (Alazone), fabula puellae e manibus militis vi ereptae, posteriorem partem primae scaenae actus tertii inde a versibus 765—812, III, 3 (874—946), praeterea actus IV et V. Ex tertia quadam comoedia Graeca ad coniungendas partes diversae originis a poeta interpositam esse grandiusculam illam morum descriptionem quae habetur in versibus 596—764. Adiectae scaenae rationem nostra admiratione esse dignam Plautoque gratiam esse habendam, quod splendidam illam imaginem vitae Atticae nobis servaverit (qua de re ego secus iudico, vide p. 20. Scaenam parasiticam Artotrogi ex alia quadam comoedia nova adsumptam esse ac Lucrionis scaenam totam non adhibito exemplari Graeco videri a Plauto ipso inventam, cuius opinionis causam desidero. Quod habeatur ex exemplari *B*, id brevi exitu auctum satis esse ad explendum argumentum fabulae, cui rei iure repugnat ORibbeckius Alazonis p. 72. De fabulae *B* fine sic iudicat Lorenzius: dum illusus Philocomasii custos ne poena afficiatur veritus aufugit, Philocomasium interim cum Pleusicle per parietis foramen domumque vicinam avolant. Contra disputat Leo p. 162.

Lorenzii vestigiis insistit FrSchmidtius annal. Fleckeisen. vol. suppl. IX 1877/78 p. 391 sqq., qui secundum actum ex *B* fluxisse credit, ex *A* autem actus III — V et versus 54—78 primi actus. Prologum adhibito utroque exemplo a poeta Latino esse conscriptum (p. 401), in hac igitur re a Lorenzii sententia recedit prologum ad *B* pertinere iudicantis. Versus 1—50 Schmidtius aut ex alia quadam fabula sumptos aut potius a Plauto additos esse putat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cautius est ac circumspectius O Ribbeckii iudicium (cf. Alazonis p. 72); qui fabulae Plautinae contaminationem confirmari existimat Arabica narratiuncula quae inest in illis noctium mille et unius fabellis nec tamen indicat quae singulae partes ex hoc vel illo exemplari petitae sint. Quamquam geminae sororis simulationem adversus militem non iam adhibitam esse credit, quod continuata simulatione poeta audientium animos non oblectasset, sed defatigasset (vide p. 65), quae mea quoque est sententia.

Perfossum illum parietem ex alio quodam exemplari in hanc comoediam esse translatum etiam Ed Zarnckius opinatur in commentatiuncula iucundissima Musei Rhenani volumini XXXIX 1884 inserta '*Parallelen zur Entführungsgeschichte im Miles Gloriosus*' *p. 1 sqq.*, qui tamen num Plautus fabulam ex duabus comoediis composuerit animi pendet. Quod si factum sit, in actu secundo et extrema fabula *B* decepti mariti comoediam a Plauto expressam esse. Poetam enim in fine fabulae ad comoediam in secundo actu adhibitam denuo redisse: hoc inde colligendum esse (cf. p. 24 adn. 2), quod militis mores, quales describantur v. 1311—1377, alieni sint ab eius moribus, quales in reliqua fabula exprimantur. In hac ultima scaena militem non tam hominem illum stupidum et immodicum sui aestimatorem, sicut in reliqua fabula esse, quam potius simplicis benignitatis hominem *cf. 1324, 1325, 1332, 1352, 1357, 1360, 1366, 1368, 1374 (numeri sunt Goetziani editionis minoris)*, etiamsi concedendum sit hoc actione posse obscurari. Vt autem ultima scaena revera placeret, iterata descriptione illius inhumanitatis opus fuisse. Qua de re quid ego sentiam infra p. 16 significabo. In utilissima historia litterarum Romanarum Monach. 1890 p. 40 sq. etiam Martinus Schanzius Zarnckio ita adsentitur ut Plautum, non poetam Graecum contaminasse credat.

De duarum fabularum diversas rationes militis defraudandi continentium confusione ipse quoque Petrus Langenus cogitabat, quem nuperrime mortuum esse dolemus, '*Plautinische Studien*' *Berl. 1886 p. 313 sqq.*, nisi quod cum Ladewigio (vide supra p. 9) in Graeca comoedia, unde actus secundus sumptus esset, praeter stultum illum Sceledrum etiam militem multo stultiorem illusum esse credidit. Totam autem partem 596—812 post Plauti aetatem a retractatore adiectam esse. In eo numero etiam Franciscum Grohium habendum esse apparet '*Quomodo Plautus in comoediis componendis poetas Graecos secutus sit*' *Listy Filologické 1892*, qui tamen libellus mihi non innotuit nisi ex OSeyfferti annal. Burs. vol. 80 II Berol. 1895 p. 244 sqq. Grohius propter fallaciarum adhibitarum diversitatem e duobus exemplis Graecis fabulam contaminatam videri existimat. Neque post ea quae docte et subtiliter exposuerint Lorenzius Schmidtius Ribbeckius Langenus de contaminatione se dubitare profitetur G Goetzius praef. ed. maior. p. XX.

Commemorandus deinde est Fr Hueffnerus, Fr Leonis discipulus, in dissertatione inaugurali '*de Plauti comoediarum exemplis Atticis quaest. maxime chronolog.*' *Gotting. 1894 p. 26 sq.* Ad *A* pertinere actum primum, prologi partem priorem, deinde partem actus tertii, denique actum quartum et quintum, ad alteram fabulam *B* autem prologi eam partem, qua de Sceledro in fraudem impulso agitur et actum secundum; reliquam denique partem actus tertii ad coniungendas illas duas fabulas factam esse.

Recentissima autem aetate Fr Leonem '*Plautinische Forschungen*' *p. 161—167* de Militis Gloriosi contaminatione egisse iam commemoratum est in praefatione huius commentatiunculae, qui sibi persuasit ab exemplari Graeco *A* pendere Militis gloriosi actus I IV V, a *B* autem totum actum II (cum prologo!) et III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non inutile erit hoc tertium opinionum genus sub uno oculorum adspectu ponere. Quas enim Militis partes ex quibus exemplis Graecis singuli assumptas esse crediderint, ex hoc indice facillime cognoscetur:

Militem Gloriosum fabulam Plautinam hunc in modum compositam esse putat

ThLadewigius
ex *A*: act. III, 1 v. 596—609. 765—804 III, 2 et 3 IV V
ex *B*: act. I II III, 1 v. 610—764. 805—812

ALorenzius
ex *A*: III, 1 v. 765—812. III, 3 IV V
ex *B*: II (cum prologo)
ex *C* (tertio exemplo Graeco) III, 1 v. 596—764
ex *D* (quarto exemplo Graeco) I v. 1—78
praeterea a Plauto de suo adiectam esse scaenam III, 2

FrSchmidtius
ex *A*: I v. 58—78 III—V
ex *B*: II
prologum adhibito utroque exemplo Graeco compositum esse exceptis versibus 1—54 quos Plautus adiecerit.

EdZarnckius
ex *A*: I III IV, 1—7. 9 V
ex *B*: II et IV, 8 v. 1311—1377

PLangenus
v. 596—812 a Plauto de suo adiectos esse credidit, de reliquis partibus eandem sententiam habuit quam Lorenzius.

FrHueffnerus
ex *A*: I II, 1 v. 79—137 III (ex parte) IV V
ex *B*: II, 1 v. 138—155 II, 2—6 III (reliqua ex parte)

FrLeo
ex *A*: I IV V
ex *B*: II III
prologum fluxisse ex *B*.

Quod Hegio ille Terentianus dicit *Quot homines tot sententiae*, id insignite ad has de Militis gloriosi contaminatione sententias videtur quadrare: tam enim variae sunt ut nihil possit ultra. Quae diversitas non potest non esse plena suspicionis. Ac ne eam quidem quam ultimo loco commemorabam Fr Leonis de fabulae compositione opinionem etsi cum magna subtilitate commendari videtur tum, id quod in huius modi rebus magni momenti est, singulari simplicitate — quid enim simplicius cogitari potest quam si tres fabulae actus ex Graeco exemplo *A*, duos ex *B* a Plauto translatos esse statuamus? — ego persuasum habeo diutius quam aliorum illorum quos attuli sententias esse valituram. Id mea ipse experientia doctus sum. Cum enim ad perscrutandam hanc quaestionem me applicarem, certissimum mihi visum est contaminationem in hac fabula latissime patere, quo autem enixius ei rei operam dedi eo magis illam opinionem pedetemptim circumcidere coactus sum. Quae enim de comicorum Romanorum contaminatione comperta habemus, ea, quamvis perpauca sint, tamen

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omnia ita sunt comparata, ut hanc rationem fabulas componendi multo angustioribus finibus circumscriptam fuisse doceamur. Nam quantum ex tribus quattuorve fabulis Terentianis quae contaminatae sunt concludi licet, contaminatio adhibebatur a poetis Latinis, ut aut novis personis introductis quae non erant in exemplo principali quas tamen auditoribus valde placituras esse credebant vel quae fabulae personis respondere oppositaeve esse videbantur aut mutatis personarum moribus aut insertis duarum personarum sermonibus ubi in Graeca fabula una secum loquebatur aut diversa argumentatione et quae sunt similia argumentum fabulae variarent et distinguerent, totam dispositionem speciosiorem facerent, aridam simplicitatem Graeci exempli ornarent atque illustrarent. Nihilo minus tamen — quod generis *c* defensores sibi persuaserunt — ad tantam umquam audaciam progressum esse poetam Romanum, singulos atque adeo complures actus ut ex alieno exemplo Graeco transferret, id omnibus testimoniis documentisque destitutum est et prorsus inauditum.

Duae enim illae fabulae ut omnino coalescere in unam possent, quam similes inter se geminaeque fuerint necesse est! Quod experimentum si quis in nostrae aetatis fabulis facere velit, facile sibi persuadeat huic confundendi rationi sine maximis commutationibus nullum esse locum. Ac ne quis forte opponat poetis Latinis eam rationem faciliorem fuisse propter certarum stabiliumque quae vocantur personarum usum: etiam in nostratium fabulis permultae inveniuntur personae stabiles; cum autem in summa personarum similitudine mutentur et varientur res et condiciones, fit ut duae fabulae in unam confundi nequeant. Atque idem cecidisse in fabulas illas Atticas facile est ad intellegendum.

Praeterea non potest non incredibile videri poetam qui duos integros actus ex alieno exemplari Graeco sumptos in suam comoediam inseruerit vel qui, ut Lorenzio visum est, ex quattuor fabulis Graecis suam composuerit de suo insuper addita quinta parte, tanta ingenii imbecillitate atque rusticitate fuisse, ut graviores illas discrepantias quae restant in Milite Glorioso removere non potuerit. Quae ipsius quoque JBrixii opinio fuit in priore fabulae editione p. 10 ubi dicit: *Wenn Plautus die Unebenheiten in der Ausführung der Handlung für so anstöfsig gehalten oder geglaubt hätte, dafs sein Publikum solchen Anstofs an ihnen nehmen würde wie wir, so würde sein Talent grofs genug gewesen sein, sie zu beseitigen und mit ihnen die Spuren der Contamination zu vernichten.* Nam hoc est eximiam Plauti artem agnoscere eandemque denegare. Aut enim Plautus summus ille in componendis fabulis artifex fuit, id quod minime credo, aut non fuit; si fuit, fieri potuit ut hunc in modum fabulam contaminaret nec tamen potuit fieri quin quae insunt inter se repugnantia tolleret: sin non fuit, non commisit ut fabulae argumentum ita immutaret, uti Lorenzio et Leoni est visum. Vide praeterea, quam egregie quarti actus initium conveniat extremo actui tertio, quod non casui tribui potest, immo de industria factum est a poeta Graeco: omnia enim similem in modum instituta erant in Alazone.

Sed alii scrupuli accedunt non praetermittendi. Vt enim Militis Gloriosi actus secundus ab Alazonis argumento alienus fuerit, ut paries perfossus inter utramque domum non exstiterit, ut Philocomasium se sororem suam geminam esse non finxerit, quid tandem in hac parte Alazonis factum esse existimabimus? Nam aliquid certe factum est: actio enim requiritur ac motio, non quies ac remissio. In tertio fabulae actu quies apta est, in altero non item. Sine hac autem actione Miles Gloriosus prorsus descenderet ad statuariarum fabularum numerum. Actum igitur aliquid est: quid autem actum sit nisi quod in Milite Glorioso qualis etiam nunc est actum videmus, ego quidem mente concipere non pos-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sum. Nam etiamsi paries non erat perfossus, eaedem tamen personae, quae nunc occurrunt, in hac parte fabulae introducendae erant: Palaestrioni, qui modo, ut in Alazone ipso, prologi munere functus erat, ut actionem inciperet, remanendum erat, Periplectomeno[1]) sene opus erat, non poterat deesse Philocomasium, Sceledro non erat supersedendum. Non dubito profiteri hunc actum secundum sive ab inventione sive a perfectione aut inter optimas partes huius fabulae referendum esse aut ipsam esse optimam partem, atque licet doli versibus amplius CCCC ad decipiendum Sceledrum structi pro rata parte aliquanto longiores videantur, illud concedendum erit totum actum exceptis pauculis quibusdam locis, qui retractationem redolent, per se esse optimum atque ita comparatum, ut res, sicuti instituta est, celerius ad finem perduci non potuerit. Quae fabulae pars dubitandum non est quin praeter ceteras placuerit spectatoribus. In tertio autem actu fieri non potuit quin una cum Palaestrione et Periplectomeno Pleusicles in scaenam prodiret, quem ad modum fit in Milite Glorioso qualis exstat. In hac fabulae parte non pauca dilatata esse et tracta in longius non negaverim ac propter tertii potissimum actus longitudinem ab litterarum scriptoribus non bene de Milite Glorioso iudicari contendo: Plautum tamen extra culpam esse in altera parte huius commentatiunculae docebo. Deinde Acroteleutium meretrix et Milphidippa ancilla[2]) — saepenumero in comoediis eiusdem generis personas geminari notum est — ut in proximo actu fallacias perficere possent, a Periplectomeno et magis etiam a Palaestrione, totius operis rectore ac moderatore, erant instituendae. Quae omnia quem ad modum longe aliter atque in Milite Glorioso procedere potuerint non intellego, praesertim cum actionem ipsam in hac parte fabulae subsistere nec promoveri licuerit. Eaedem igitur personae in Alazone, eaedem personarum inter se rationes atque condiciones, omnia plane gemella atque ut ita dicam parallela: quidni quae nunc sunt in Milite Glorioso in Alazone prorsus eadem fuisse arbitremur? Pauca quaedam excipio, de quibus in altera parte dicetur. Adducor igitur ut parietem perfossum non contaminando demum in Plauti fabulam irrepsisse sed iam in Alazone prorsus eodem modo exstitisse credam.

Qua in re illud non extimesco ne opprobrio mihi detur, quod Fr Schmidtius p. 397 dicit: *Wenn wir glauben, daſs Plautus den zweiten Akt aus dem Alazon entnommen hat, so können wir gar nicht umhin, auch dem griechischen Dichter denselben Fehler zuzuschreiben, einen Zwischenfall ungebührlich weit ausgeführt zu haben.* Quoties enim haec comoedia docebatur, inter spectandum nemo sibi persuadere potuit hunc locum aequo longiorem esse; finita demum fabula qui de comoediae compositione secum meditabatur, iudicare potuit illas Sceledri scaenas nimis diffusas ac dissipatas esse: quod tamen haud scio an nemo illorum hominum fecerit, quos nulla talium spinarum ratione habita ad unum omnes mirum quantum rerum dulcedine captos esse credendum est. Ac si vitio vertenda sit huius interiectae partis longitudo, quidni poeta Graecus illud peccasse credatur?

Πρῶτον ψεῦδος enim hoc contaminationis genus a poeta Romano adhibitum esse existimantium praeiudicata de nova Atticorum comoedia opinione mihi videtur contineri. Singularem quandam sibi finxerunt summae perfectionis atque absolutionis imaginem. Sed quo nititur ista opinio? Illam comoediam omnino non novimus nisi e Plauti Terentiique imitationibus nec per se credibile est artem illam fabulas componendi quamvis magnam per se omnibus tamen numeris absolutam fuisse et, si ad normae perfectionem revocetur, omni vitio caruisse. Vbi

1) Periplectomeni nomen quod exstat in codicibus conservandum esse puto, quamquam quid significet etiam nunc nescitur. 2) Nomen Punicam originem videtur significare.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

enim invenitur ullum dramatis specimen, in quo nihil sit peccatum, sed omnia sint optima, quod omnibus artis praeceptis satisfaciat? Conferantur ea quae infra p. 16 sq. e Sauppii libro suavitatis pleno commemorabuntur. Quam vana autem, quam improbabilia, quam falsa nostratium poetarum comoediae contineant si animo nobiscum reputaverimus, in fabula ignoti cuiusdam poetae qui num inter principes ac duces huius generis fuerit nemo pro certo affirmare potest, non summam artis perfectionem requiremus.

Praeterea quod parietis perfossi inde a tertio actu nullus iam in fabula est usus, vix quisquam poetae vitio dare poterit, si totam argumenti descriptionem respexerit. Contra ea enim, quae Lorenzius p. 31 sq. affert: '*Es wird hieraus bald klar, dafs Plautus bei seiner Komposition des Miles Gloriosus den Grundfehler beging, den Kampf der List und Intrigue, der das Treibrad im Bau der νέα bildet, hier zweimal aufnehmen zu lassen und zwar gegen zwei voneinander ganz getrennte Gegner, wodurch die dramatische Spannung der Zuschauer zuerst durch Exposition, Verwicklung und Auflösung des ersten Kampfes (Act II) ihren regelmäfsigen Verlauf nimmt und dann, nachdem sie während einer langen Episode (596—764) geruht hat, zum zweiten Male von vorne wieder anfangen mufs,*' haec duo oppono: non duos esse in fabula adversarios, sed unum militem, cum Sceledrus, militis servus, eri sui mandato satisfaciat, deinde autem vituperationem huius rei faciliorem esse quam emendationem. Dubitari enim nequit, quin, si perfossi parietis in reliqua fabula rationem non habuit, poeta e duobus, ut aiunt, minus malum elegisse censendus sit. Nam postquam Philocomasium in actu secundo quoad eius facere poterat nihil, ut Sceledrum falleret, reliquit intentatum (cf. fallaciarum indicem Ribbeckianum Alazonis p. 61 adn. 2), nullo pacto licuit eandem rem adversus Militem iterari, id quod et in artis praecepta peccaret — nihil enim pravius in arte dramatica vitiosiusve quam actae rei repetitio — et effici omnino non poterat. Neque enim minore scaenarum serie ad decipiendum militem opus fuisset quam qua in Sceledro fallendo poeta usus est. Quod igitur FrLeo p. 162 dicit: '*Dem Herrn (Pyrgopolinices) mufste dieselbe Überzeugung beigebracht werden, wie dem Diener, erst dann war die komische Wirkung vollständig; dies durchzuführen ohne durch Wiederholung der gleichen Situation lästig zu werden wird der attische Dichter schon Wege gefunden haben. Der Herr mufste selbst dem Mädchen zur Flucht verhelfen, wie in den Bacchides der Alte selbst dem Chrysalus das Geld bringt, um das er betrogen wird. Dafs das Original einen solchen Abschlufs fand, wird durch eine ihm entstammende* (hoc merito incertum reliquit EdZarnckius) *arabische Novelle wahrscheinlich*': ego quidem velim scire, quem ad modum perficere potuerit. Etenim quod effici non potest, id ne Atticus quidem poeta efficere potuit. Accedit quod narratiunculae illius arabicae ex Graeca comoedia origo nequaquam argumentis confirmata sed in coniectura tantum posita est — Zarnckium cautius moderatiusque de hac re iudicasse supra significabam — atque ut fabella arabica ex Graeca comoedia derivata fuerit, illud inde colligi non potest, num in comoedia perfossi parietis dolus etiam in decipiendo milite adhibitus sit. Nam aliae sunt leges narrationum, comoediarum aliae: in fabella enim nullam fallaciarum intermissionem habemus quae tertio comoediae actui respondeat, sed unam eamque continuam actionem, ut qui fabellam conscripsit nullo modo perfossi parietis immemor esse potuerit. Ex hac igitur fabella arabica vereor ne nihil effici possit quod ad Militis Gloriosi finem pertineat, etiamsi exploratum esset, id quod demonstrari non potest, fabellam ex Graeco exemplari fluxisse.

Atque eandem rationem in decipiendo milite repetitam esse ipse quoque Ribbeckius negat p. 64 sq.: '*doch glaube ich kaum, dafs jenes Vexirspiel von dem griechischen Dichter auch*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

noch mit dem miles fortgesetzt sein wird: es würde dann nicht mehr belustigend, sondern ermüdend gewirkt haben.' Quod si verum est, meo quidem iudicio non iam est cur actus secundus vel cum tertio vel sine tertio fabulae per contaminationem adiectus esse credatur. Accedit quod Palaestrionis verbis 765 sqq. hic ipse fabulae exitus quamvis tecte indicari videtur.

Denique fallaciarum illarum intermissio si comoediam celeriter legas non solum non molesta est sed vix cognoscitur, ab illorum autem temporum hominibus in spectando non est percepta. Finito enim praeparatorio illo, ut ita dicam, actu tertio spectatores actionis celeritate ita tenentur, ut parietis perfossi nullo modo recordentur. Eiusmodi res, si quis pervestigandae comoediae operam dederit, animadvertet: dum audita et spectata est, nemo, credo, animadvertit, atque ut audirentur et spectarentur in scaena, non ut in domesticis eruditorum conclavibus lectitarentur et ad artis praecepta perpenderentur et fabulas Plautinas et ipsas quoque Atticorum fabulas compositas esse manifestum est. Conscriptae sunt ad oblectandos animos hominum candide sentientium simpliciterque fruentium, non ad delicatas et fastidiosas aures mentesque subtilium aestimatorum satiandas.

Num talis qualis perfossi parietis est fallacia a poeta recentioris aetatis in priore parte alicuius fabulae adhibita sit, omissa in posteriore nescio. Non fuit otium huius rei exquirendae, quamquam credo tale quid a comoediae quidem natura non abhorrere.

Demonstrasse igitur mihi videor contaminationis tam late patentis usum neque testimoniis exemplis documentis confirmari et suapte natura fidem excedere omnique carere probabilitate; exposui hac opinione adeo non tolli huius fabulae difficultates ut aliae oriantur illis etiam maiores ac graviores; probavi, quoad eius fieri potuit, fabulam Plautinam proxime accessisse ad Alazonem Graeci poetae fabulam.

Vitiorum autem quae in Milite Glorioso deprehenduntur a criticis duplex mihi videtur genus esse:

1. quae iniuria pro vitiis habentur,
2. quae revera sunt vitia.

Haec autem quae revera vitia sunt aut

a) ad Plautum ipsum sunt referenda aut
b) ad Plautum non pertinent.

Ad illud genus *1* mea quidem sententia illud spectat quod Palaestrio ut prologus v. 145 sqq. ea narrat quae ut fabulae persona v. 173 sqq. demum comperiet, qua de re veteres homines secus sensisse credibile est atque nostrates. Conferatur PTrautweinius *'de prologorum Plautinorum indole atque natura' Berol. 1890 p. 46—54.* Ego totum prologum genuinum esse existimo exclusis fortasse versibus 93 et 94, de quibus vide infra p. 18. Neque prologi loquacitas me offendit, quae meo quidem iudicio in expositione fabulae, quae dicitur, necessaria videtur; ad expositionem autem apparet illam certe partem prologi pertinere, ubi Philocomasium a Palaestrione reperta, Pleusiclis adventus, paries perfossus commemoratur, quarum rerum in comoedia ipsa nulla fit mentio. Res enim ad intellegendam fabulam necessarias iterum iterumque commemorando occurrendum erat maximae quae initio esse solebat audientium turbae, de qua cum in aliis prologis tum in huius ipsius initio poeta verba facit, et quisquis hominum Italicorum ineuntibus spectaculis theatralibus alacritatem et clamorem noverit, is mecum hac de re prorsus consentiet. Quam ob rem in fabularum initiis huiusmodi tautologiae minime sunt offensioni. Salium autem ac facete dictorum in prologo penuria

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quamquam concedenda non tamen vituperanda est, quippe qui praecipue constet ex narrando argumento: in tali enim argumenti narratione sales minus aptos esse per se apparet. Neque de prologi collocatione, de qua supra dictum est, neque de Palaestrione ad prologi partes aptissimo dubitandum est. Praeterea ne tenuissimum quidem scrupulum inicit levis illa versus 101 cum Cistellariae versu 193 similitudo. Versu 87, ubi legitur *id nos latine gloriosum dicimus*, in translata voce Graeca — nam translatio sine dubio est — nihil est offensionis. Propterea versus 87 in minore editione Goetzio-Schoelliana recte uncinis non est inclusus. Sed prorsus eiusdem generis Truculenti versus 78b est *Phronesium*: *nam phronesis est sapientia*, quem ob eam rem novi editores non debebant cum Lambino secludere. Cf. etiam Casinae v. 31 *Clarumenoe uocatur haec comoedia Graece, latine Sortientes.*

Venio ad Zarnckii offensionem, quam supra p. 10 attigi. Dicit enim in fine fabulae poetam imprudentem nonnulla quae ad deceptum maritum spectarent adscivisse non congruentia illa quidem militis moribus, quales in reliqua fabula describantur. Etenim inde a versu 1311 sinceram benignitatem non stupiditatem militis patefieri, ad quam rem comprobandam ille affert versus 1324, 1325, 1332, 1352, 1357, 1360, 1366, 1368, 1374. Ego in his versibus nullum invenio indicium sincerae benignitatis, immo versus 1320, 1334—1336 naturam benignitati contrariam indicant. Multo iustius forsitan dixerit quispiam e benignitate profecta esse quae miles edit in quarta scaena actus quarti.

Restat ut brevissime expediam FrSchmidtii de fabulae epilogo dubitationem. Dicit enim p. 383 sq. ultimae scaenae Sceledrum diversum esse a Sceledro actus secundi, hoc autem ex contaminatione fabulae ortum esse, revera non de Sceledro, sed de alio quodam servo militis esse cogitandum. Mihi secus videtur. Nam ex triginta quattuor verbis quae loquitur servus — rectius triginta quinque (vide infra cap. III p. 28), verba enim *iure factum* usque ad *studeant* v. 1435—1437 merito cum codicibus Pyrgopolinici continuant Vssingius et Leo — nihil omnino de servi moribus cognoscitur. Praeterea prorsus facio hac in re cum ALorenzio Bursian. annal. XVIII 1879 II p. 37: '*Referent möchte ungern der grofsen komischen Wirkung verlustig gehen, dafs gerade der zuerst Gefoppte, den die Zuschauer an seinem barocken Äufseren gleich wiedererkannt haben werden und der überdies IV 8 als Gepäckträger seiner ehemaligen Herrin Gelegenheit genug gehabt hat, sich durch stummes Spiel bemerkbar zu machen, es ist, der dem nachher noch ärger Geprellten die ganze Wahrheit aufdeckt.*' Ac ne tum quidem, si Sceledrus, id quod nego, personam suam exueret in extrema fabula, alius servus in fine prodire potuit nisi Sceledrus. Protaticae enim personae interdum habentur in fabulis, epitaticae non habentur. Qua in re illud nullius momenti videtur, quod Sceledri nomen deest in codicibus Palatinis in scaenae titulo ante versum 1394. Aliae causae, quas profert Schmidtius, infringuntur eis quae supra disputata sunt.

Ad alterum genus eorum quae revera vitiosa sunt in Milite Glorioso (2a) haud scio an pertineat praeter cetera — in omnibus enim Plauti fabulis sunt in quibus merito offendas — permirum illud *triennium* quod libri cum *A* exhibent v. 351, pro quo *trinundinum* Gruterus, *trimenium* quod hic scribi solet Guyetus coniecit, Vssingius *trilunium* mallet, si haec vox alibi exstaret. Mihi non notabilius illud videtur quam quae ex recentiorum temporum poetis praeclarissimis collegit GASauppius in libro lepidissimo '*Wanderungen auf dem Gebiete der Litteratur*' Hal. 1868, ubi dicit p. 222: 'Manchmal vergessen die Dichter das zuvor Gesagte. Shakespeare läßt von Hamlet in dem berühmten Monolog '*das unentdeckte Land, von defs Bezirk kein Wandrer wiederkehrt*' erwähnen, nachdem demselben kurz zuvor der Geist seines

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vaters erschienen war. Bei Schiller sagt Don Carlos (im 4. Auftritte des zweiten Akts) zum Pagen, der ihm ein Briefchen von der Prinzessin Eboli bringt, in der Meinung, es komme von der Königin: *Noch hab' ich nichts von ihrer Hand gelesen*, da er doch, wie weiterhin (im 5. Auftritte des vierten Akts und im 9.) erzählt wird, in früheren Verhältnissen Briefe mit ihr gewechselt hat.... Wallenstein sagt bei der Nachricht von der Gefangennehmung des Unterhändlers Sesina (im 2. Auftritt des ersten Akts) wiederholt: *Es ist ein böser Zufall* und in derselben Tragödie (im 3. Auftritt des zweiten Akts) zu Illo: *es giebt keinen Zufall.* Und der Held mit der hoheitblickenden Gestalt, über dessen braunem Scheitelhaar die schnellen Jahre machtlos hingegangen (V, 4), durfte nicht von seinem *greisen Haupte* sprechen (III, 15). Alia id genus exempla enumerat CEGeppertus '*Plautinische Studien*' *Berl. 1870 p. 61 sq.*, qui adicit ad haec Sauppii verba: 'Und dennoch schrieben diese Dichter für ein litterarisch gebildetes Publikum, das ihre Stücke nicht allein in zahlreichen Wiederholungen auf der Bühne sah, sondern auch mit Eifer las und studierte. Sollte man unter solchen Umständen wohl berechtigt sein, die Alten mit einem strengeren Maßstab zu messen?... Finden wir aber dergleichen Inkonvenienzen bei den Dramatikern, so meint man darin entweder die ungeschickte Hand des Dichters zu erkennen, der die heterogenen Bestandteile griechischer Stücke nicht zu einem Ganzen zu vereinigen wußte, oder wir glauben uns berechtigt, den Text zu ändern, um auch in dieser Hinsicht die Korrektheit herzustellen, die wir nun einmal für einen wesentlichen Vorzug der antiken Kunstwerke halten'.

'Sollte aber das Publikum des Plautus', rectissime pergit Geppertus, 'auch nur annähernd die litterarische Bildung gehabt haben, um mit dem unsrigen verglichen werden zu können, von dem Goethe im Faust so treffend sagt: *Sie sind zwar an das Beste nicht gewöhnt, allein sie haben schrecklich viel gelesen?*'

Ad genus autem 2b non dico omnia, id quod sine dubio nimium esset, at multa eorum pertinent quae in hac fabula offendunt. Multa enim fabulae vitia non ad Plautum ipsum, sed ad retractatores sunt referenda.

Miles autem Gloriosus mirae oblectationis fabula qualis prodiit e Plauti manu, quamquam expers est genuinorum canticorum — harum rerum periti scient me brevitatis causa sic loqui — multo plus temporis ad pronuntiandum requirentium, quae ob fabulae longitudinem evitata esse mihi videntur, tamen non dubito quin, ut notissima est omnium, sic in optimarum quas poeta nobis reliquit fabularum numero sit habenda. De maculis autem quae postea ab aliis Militi Glorioso videntur inculcatae esse in altera parte huius commentationis dicetur.

II.

Retractationis vestigia manifestum est in Milite Glorioso plurima exstare. Multa enim adiciebantur sive ab ipsis dominis gregum histrionalium sive ab aliis scaenicis idque ea aetate, ubi fabulae Plautinae quae diutissime siluerant in theatris, denuo in scaenam revocari coeptae sunt: ineunte septimo ab u. c. saeculo annis fere 600—620 vel 630. Hoc saepenumero non sine iactura locorum vere Plautinorum fieri potuit, quamquam non deletos esse a retractatoribus mirere versus 211 sq.: *Nam os columnatum poetae esse indaudivi barbaro Quoi bini custodes semper totis horis occubant*, qui sine dubio cum eis quae antecedunt a Plauto ipso conscripti sunt. Interdum illa additamenta nullo negotio a genuinis possunt segregari, saepius tamen ea ita cum proximis conglutinata esse veri simile est, ut quid Plauto quid retrac-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tatori tribuendum sit diiudicari omnino non queat. Atque ut de illis iudicium facile, sic de his saepe est difficillimum. Qua in re fieri non potuit quin certae quaedam fabularum partes intactae manerent ac liberae, ubi Plautina ita comparata erant ut immutationes et variationes non admitterent, nec mirum est si tales fabulae partes multo meliore condicione esse solent quam quae retractatorum manus passae sunt. Quo in numero in Milite Glorioso sunt, nisi fallor, actus I, ex actu II fere omnia praeter perpauculos locos scaenae 2 et praeter actus finem, praeterea actus IV fere totus et actus V. In aliis contra partibus haud pauca sunt immutata, plurima in aliis: huc referenda est prior potissimum pars actus tertii, quo nullus fabulae locus retractationum vestigiis est refertior. Quamquam verendum est ne ipse in tractando hoc loco in illud vitium incurrerim quod supra duce Sauppio attigi, etsi etiam in his rebus *sunt certi denique fines quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Ad extremum unum moneo: in eis quae sequentur non licebit argumentari, quod si fecissem, longe egrediendum erat extra cancellos huic scriptioni concessos; satis habeo meam de singulis locis sententiam significasse, qua in re quam brevissimus ero.

In prologo, ut iam supra indicabam p. 15, versus 93 sq. a retractatore adiectos esse praeter sententiae absurditatem vel eo demonstrari mihi videtur, quod *itaque* non habet quo pertineat.

In actus II scaena 2 duarum vel adeo trium manuum vestigia deprehendo (cf. etiam quae dixi in commentationibus Fleckeisenianis Lips. 1890 p. 174):

a. v. 187, 188, 189a, 189b. Haec fortasse ad Plautum ipsum redeunt. (Versum 189b igitur non iam pro suppositicio habeo; de caesura dixit FVFritzschius in indice lection. Rostoch. 1850 p. 8),

b. 190, 191, 192,

c. 193, 194.

Si *c* ab altero quodam retractatore adiecta sint, credendum erit his duobus versibus caput deesse, quippe qui, nisi alia fuerunt interposita, cum versibus 187 et 188 parum cohaereant. Cum autem iocus qui inest in *horti* et *condimentorum* verbis (cf. Fritzschium) hoc loco nimis arcessitus sit, fortasse de glossemate cogitari licet. Item versibus 203 sqq. duo loci gemini sunt:

a. 203—208,

b. 209—214 (Plautina) cf. supra p. 17.

Inter se respondent versus 203 et 209, 201 et 213, 208 et 214.

Supervacanei etiam videntur v. 571—574 post versus 563—570, quamquam inde sane non efficitur eos non a Plauto scriptos esse.

De exitu actus secundi supra dixi p. 8.

Nulla tamen Militis Gloriosi pars, uti iam supra commemorabam, additamentis magis vexata est quam prior pars scaenae primae actus tertii. De hoc loco mirum quantum inter se variantur criticorum sententiae. Non inutile erit verba singulorum ipsa afferre, qua in re ita versabor ut primo loco commemorem opiniones eorum qui scaenae praestantiam laudent vel saltem praeter pauca quaedam eam comprobent. ALorenzius p. 18 dicit: '*Es ist eine wohldurchdachte, mit grofser Menschenkenntnis und zarter Ironie ausgeführte Charakterschilderung, die uns in diesen Versen 569—764 vorgeführt wird. Wir dürfen in derselben die kunstfertige Hand eines attischen Dichters erkennen.*' Cf. etiam quae deinde p. 44 iudicat. Simile iudicium iam Koepkius in praefatione versionis de hac morum descriptione fecerat p. 7: '*Zu den anziehendsten Scenen würde ich besonders zählen: erstlich die keck und doch mit*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

einer gewissen (!) Gründlichkeit durchgeführte Intrigue, daſs Philokomasions Zwillingsschwester angekommen und dem gewandten Mädchen angemuthet wird, sich in der Seele beyder vermeintlichen Schwestern zu bewegen und so ihrem Wächter eine Nase zu drehen und dann die Darlegung des Charakters des Periplektomenes, eines heitern Humoristen, dem aus Terenz und Plautus kein ähnlicher Charakter an die Seite zu stellen ist', cf. etiam quae sequuntur.

Similiter JBrixius[2] p. 5: '*In loser Anknüpfung folgt dann, die Handlung über Gebühr unterbrechend, aber bedeutsam für die Charakterzeichnung des Periplektomenus und Pleusikles ein lang ausgesponnener Dialog (der aber vielleicht manche Erweiterungen durch Interpolation erfahren hat).*'

De origine vere Plautina etiam FrLeo cogitat p. 164: '*Es wird hierdurch klar, daſs die ganze Partie 612—754 innerlich einheitlich und aus einem Gusse ist, also den Zusammenhang hat, den der attische Dichter ihr gegeben hat*' et in adnotatione: '*Ein solches Stück neuattischen Lebens wird weder bei ihm (Plautus) noch bei Anderen zum zweitenmal geboten.*'

Longe diversum FrSchmidtii iudicium est totum locum a 612 usque ad 765 delentis *cf.* '*Untersuchungen*' *p. 352:* '*Eingelegt wurde diese Partie bei einer Wiederaufführung des Stückes zu einer Zeit, wo griechische Sitte und Unsitte auch in Rom schon eingedrungen war. . . . Damals glaubte jemand durch Einlegung dieser Partie das Publikum ergötzen zu können. Sie entstammt ursprünglich ohne Zweifel der griechischen neueren Komödie, wenn auch vielleicht nicht direct, sondern durch das Mittelglied eines andern römischen Komödiendichters, aus dem sie derjenige, der sie einlegte, entnahm*' (cur hoc statuerit Schmidtius, prorsus me fugit, nam linguae Graecae usus illis posterioribus hominibus sine dubio etiam facilior erat quam Plauti aequalibus). Idem Schmidtius pergit: '*Auch ist es ganz glaublich, daſs diese Partie nicht aus einem Stücke entnommen ist, sondern aus mehreren, da zwischen den verschiedenen Theilen dieser Partie innerlich wie äuſserlich kein innerer Zusammenhang stattfindet*'. Vide etiam quae sequuntur.

Etiam JLVssingius in editione anni 1882 p. 262 '*qui intercedunt CLII versus*, inquit, *alia omnia continent, satis lepida fortasse, sed ab re aliena. . . . Tam multa hoc quidem loco, ubi consilium gravissimum de summa re habendum est, sine summo fabulae detrimento interponi non potuisse apparet*'. Et prorsus dissentiens a Lorenzii et Leonis aestimatione addit: '*nec in toto hoc loco leporem et vigorem vere Plautinum agnosco; verbosam vides eloquentiam, quae magis Gracchorum et Lucilii aetatem quam Plauti sapiat, auctorem autem ut prologorum auctoribus ingenio superiorem, ita aetate fere aequalem.*' Eodemque fere modo PLangenus p. 322 dicit: '*Erst als nach dem Tode des Terenz die Komoedien des Plautus wieder zur Aufführung gelangten, da wagte es ein Dichter, diese Schilderung und Verherrlichung des Junggesellenlebens dem römischen Publikum zu bieten.*' Idem p. 324—329 verborum usum examinando hunc locum non Plautinum esse demonstrare studet, quod experimentum tamen secus cecidisse credo, cf. etiam Leonem p. 164.

ORibbeckii iudicium maxime cum Brixio consentit, dicit enim Alazonis p. 69: '*Am allerstörendsten freilich für den Fortgang der Handlung sind die gesprächigen Auslassungen des Alten (III, 1), welche in die beabsichtigte Berathung wie ein Keil hineingeschoben werden. An sich, wenigstens in ihrem Kern, vortrefflich zur Charakteristik des lebenslustigen und welterfahrenen Junggesellen geeignet, sind sie doch von unverhältnismäſsiger Breite und zum Theil mit Haaren herbeigezogen. . . . Es bleibt aber nicht ausgeschlossen sich vorzustellen, daſs getrennte Scenen des einen oder mehrerer Originale hier miteinander verschmolzen und willkürlich aus-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

geweitet sind. Bei wiederholten Aufführungen scheint gerade diese Partie zur Einschwärzung von allerhand Zuthaten und Variationen vielleicht unter theilweiser Zuziehung einer griechischen Vorlage verführt zu haben: dafs uns Schichten verschiedener Redaktionen vorliegen, verräth die als Ganzes völlig unhaltbare Aufeinanderfolge der Verse 639—670 in den Handschriften.'

Quanta mehercule sententiarum diversitas! Existimant igitur ab uno poeta totam hanc scaenae partem compositam esse, sive Plautus fuit (id quod Lorenzius et Leo crediderunt) ita quidem ut locus Plautinus ab alio vel aliis amplificatus sit (quae est opinio Brixii et Ribbeckii) sive posterioris aetatis homo qui novam fabulae actionem paraverit (quod visum est Schmidtio Vssingio Langeno).

Vt mea fert opinio consentiens illa quidem in nonnullis rebus cum Schmidtio et Ribbeckio, versus 596—764 numquam in una eademque fabulae actione locum habuerunt, sed coacervatae sunt partes et particulae quae a diversis hominibus ad diversas fabulae actiones diversis exemplaribus Graecis adhibitis ad fabulam Plautinam ita adiunctae sunt, ut alia membra ad alias actiones usurpata esse credendum sit. Multis enim locis postrema cum primis non cohaerent, occurrunt veri dissimilia, iterata, inter se repugnantia quibus transponendo frustra medeare. Quamquam ne grammaticorum quidem additamenta desunt quae glossemata appellare solemus multo posterioribus temporibus adiecta quam quae instauratarum fabularum Plautinarum fuit aetas.

Haec autem membra aliena fortasse non essent adscita ex fabulis, in quibus homo caelebs libertatem suam praedicabat — tales autem locos in nova comoedia ex Euripide pendente frequentissimos fuisse veri simile est —, nisi ab initio praesto fuisset corpus aliquod vel corpusculum vere Plautinum ad adfingenda illa membra aptum.

Quae cum ita sint, etiam de contaminatione loqui possis, non qua Plautus ipse usus sit, at qua posteriores. Habemus enim reapse hoc loco contaminationem post Plautum factam.

Veniam nunc ad rem, ubi duo haec monuero. Ac primum quidem FrLeo vel propterea totum locum Plauto adscribendum esse censet, quod haec pars dittographiae indicia habeat, cf. p. 164: '*aber soll man gegen eine solche Athetese noch Gründe anführen? Der eine reicht aus, dafs das Stück Dittographien hat, also zum alten Bestande gehört.*' Quid inde efficiatur nescio. Quid enim impedit quominus ipsis quoque partibus post Plautinam aetatem adiectis, si postea alia etiam apparabatur fabulae actio, denuo nova adiuncta esse credamus? Alterum hoc est: in eis quae sequuntur aliorum de singulis locis sententias non commemoravi et, quae potissima fuit, brevitatis causa et quia meam opinionem nihil nisi lectio saepe iterata confirmavit; quid autem alii de singulis locis iudicaverint facillime ex Goetzii editione maiore cognoscitur.

In versibus 598—606 diversarum actionum scaenicarum vestigia reperiuntur. Versus 599b in *A* omissus rectius grammatici alicuius esse iudicatur quam retractatoris qui eum in alia fabulae actione pro versu 599 pronuntiari iusserit. In proximis versibus duplex recensio agnoscenda est: ego versus 602 sq. genuinos esse credo, quippe qui ad versum 599 aptissime quadrent, v. 600 sq. contra ex eo potius sententiarum ordine sumpti sunt, ad quem pertinent 604—606. Versum 603 fortasse excepit versus 609. Versus 607 et 608 ab alio retractatore compositos esse puto, quamvis metaphora e re venatoria translata non insuavis sit. Praeterea commemoro versus 607 sq. eiusdem argumenti esse atque 597. Fortasse versus 600, 601, 604 usque ad versum aut 606 aut 608 (si supra v. 597—599 deleantur) ex eadem recensione fluxerunt. Quominus 600 sq. pro glossemate ad 606 adscripto habeatur impedit initium versus 603, *quippe* enim vox flagitat versus 601 et 602, cum sine illis versibus non habeat quo referatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Versus 612—615 ab eodem homine adiectos videri, qui adulterinum exitum actus secundi composuit, non est quod accuratius demonstrem, aperte enim repugnant versui 598, cf. etiam FrSchmidtium, p. 338—340.

Versus 616—634 (aut saltem 616—625, si versus 626—634 posterioris originis sint) haud scio an excepto initio versus 616 recte se habeant, ac si, id quod Ribbeckius '*Bemerkungen zu Plautus Miles Gloriosus*' Mus. Rhenan. XII 1857 p. 597 sq. rectissime suspicatur, versus 624 et qui sequitur cum codice *B* Palaestrioni, non Periplectomeno tribuantur, Palaestrio hoc loco dignitatem suam tueatur, quam per totum cum Periplectomeno sermonem amisit, simulque inde efficiatur hos versus a Plauto, non ab retractatore conscriptos esse.

Inde a v. 635 incipiunt additamenta. Post 636 huiusmodi sententiam intercidisse *nam ipsum amasse oportet, si amanti ire opitulatum uoles* coniecit Ritschelius, fortasse tamen de *ut* condicionali cogitari licet etiam in Ciceronis epistulis frequentissimo, quamquam non ignoro illius usus exemplum Ciceronis aetate antiquius nullum adhuc repertum esse a grammaticis. Etiamsi enim retractatorum sermo in universum prorsus eandem speciem prae se fert atque vere Plautinus, ut huiusmodi quaestionibus, qualem de versibus 596—764 Langenus instituit, plerumque nihil proficiatur (cf. supra p. 19), nostra tamen talium rerum cognitio manca est etiamnunc et fortasse semper manebit. Quamquam libenter concedo hunc locum ad diiudicandam hanc rem non esse idoneum. Videtur autem haec particula v. 650 terminari. Versus 642 sq. ab alia manu adiecti sunt, ut habeamus retractationem in retractatione: nam et ad ea quae antecedunt male apti sunt nec bene stare possunt, quod v. 647 eaedem formae *(sputator, screator)* redeunt, quod interiectis aliis versibus falsum esse ne infimi quidem ordinis scaenicum poterat fugere. Accedit quod tempus futurum *ero* ab hoc loco alienum est. Versus 648, ubi Leo cum Scioppio recte *Animulas* videtur scripsisse, num ex ipsa Plauti fabula reliquus sit incertum est; antiquitatem sane redolet.

Versus 651 nec cum versibus antecedentibus nec cum sequentibus cohaerens verbo *praedicas* (v. 633) potest respondisse. Post v. 634 positus, si vera sunt quae supra de versibus 616—634 disputavi, hic versus fortasse ad locum Plautinum pertinuit. Versus 652 — (?) 660 ad ea spectant quibus senex se praedicat, fortasse tamen ab alia manu adiecti sunt atque ea quae ante versum 648 leguntur. Nam versus 648 sententiae finem significat. Sententia versus 652 (pariter atque postea v. 667 sq.) de rebus Romanis cogitare prohibemur, id quod per se apparet.

Versus 661—671 aliud membrum indicant. V. 666 idem repetitur quod iam 642 expressum erat.

Inde a v. 672—678 fortasse Plautina continuantur. Si ea quae de v. 651 dixi vera sunt, tota haec pars ita se potest excepisse: 634, 651, 672 sqq. Omnia praeter v. 675, qui glossematis speciem sine dubio prae se fert, satis lepida sunt ac iucunda.

Versum 678 nisi fallor aut v. 684 secutus est aut 723 sq., fortasse etiam, ut infra feci, 684 cum 723 sq. coniunctus fuisse potest. Crederem Plautinum locum a 672—683 pertinuisse, nisi v. 676 locutio *deum uirtute dicam* post *deum uirtute est* dura et illepida esset. Mirum est quod Langenus, qui omnia quae contra Plautinum morem loquendi peccent expiscatur, in hac repetitione non offendit, cf. p. 323. Fortasse tamen ipse Sauppii monitoris memor esse debebam!

In versibus 685—702 aliam particulam deprehendo partim Graecum exemplar exprimentem partim Romanas res respicientem, quae quamvis bella per se sit bonoque poeta digna, hoc tamen loco non potest non arcessita videri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In proximis versibus 703—718, nisi forte 718 ad aliud membrum pertinet, duarum manuum opera cognoscitur: 707, 708, 710 diversae originis sunt a 709, 711—715. V. 716 sq. ab eadem manu scripti videntur atque 703—706.

A versu 720 (718)—722 aliud membrum habetur, qui versus ex simili vel eodem fonte fluxerunt atque Terentii Adelph. 35 sq.; v. 720 in solo *A* exstat.

De v. 723 sq. supra dictum est. Fortasse hi versus cum 684 Plautinae originis sunt.

Proxima 725—739 ut ex bono exemplari Graeco sumpta sunt — Menandrum redolent *Εὐριπιδίζοντα* —, ita huic loco minime conveniunt.

Is qui aliquantam partem huius scaenae inseruit, exeunte versu 737 haec aliena atque insiticia aliquo modo cum Milite Glorioso coniungere conatus est.

Versus 738 et 739 nisi fallor Plautino versui 676 alludunt.

A versu 740 incipit locus aut ad 748 aut ad 764 porrectus qui dubitari nequit quin geminus sit versui 672 sqq. Haec quoque ex Graeco aliquo exemplo deprompta esse speciosa locutione *east odiorum Ilias* (v. 743) docemur. Verba *nunc quod occepi opsonatum pergam* sicut supra v. 738 *nunc uolo opsonare* propterea tantum dicta sunt, ut aliena et Plautina aliquo filo inter se coniungerentur, apta non sunt. Nam Periplectomenus qui Acroteleutium cum Milphidippa ancilla de dolis militi parandis instructurus easque vestiturus est quem ad modum hoc loco animum inducere possit obsonatum ire, omni intellectu caret. Accedit quod Periplectomenus rem temere propositam numquam aggreditur, nam v. 765 supervacanea illa et inutilis cantilena uno quasi ictu temporis finita est: incipiunt vere Plautina, in quibus et Palaestrio, cui statim summa rerum committitur, et Pleusicles personas suas denuo induunt.

Haec mea de illa scaena vel potius parte scaenae opinio est, alii alia iudicabunt: illud certissimum videtur de uno quasi corpore cogitari non posse. Fortasse non ab re erit, quo rectius de toto loco iudicari possit, eos versus quos a Plauto ipso profectos supra probavi, continuos hic apponere:

PA. Cóhibete intra límen etiam uós parumper, Pleúsicles. 596
Sínite me prius próspectare, ne úspiam insidiaé sient, 597
Cóncilium quod habére uolumus. nam ópus est nunc tutó loco, 589
Vnde inimicus néquis nostri spólia capiat cónsili. 599
Nám bene consultúm consilium súrripitur saepíssume, 602
Sí minus cum cura aút cautella lócus loquendi léctus est. 603
Stérilis hinc prospéctus usque ad últumamst plateám probe. 609
Éuocabo. heus Périplectomene et Pleúsicles, progrédimini. 610
PE. Écce nos tibi oboédientes. PA. Fácilest imperium ín bonis. 611
* * * PL. At hoc me fácinus misere mácerat 616
Meúmque cor corpúsque cruciat. PE. Quíd id est quod cruciát? cedo. 617
PL. Mé tibi istuc aetátis homini fácinora puerília 618
Óbicere neque té decora néque tuis uirtútibus; 619
Ét ea expetere ex ópibus summis méi te honoris grátia 620
Míhique amanti ire ópitulatum atque éa te facere fácinora, 621
Quaé istaec aetas fúgere facta mágis quam sectarí solet. 622
Eám pudet me tíbi in senecta obícere sollicitúdinem. 623
PA. Nóuo modo tu homo amás, siquidem te quícquam quod faxís pudet, 624
Níhil amas, umbrá's amantum mágis quam amator, Pleúsicles. 625

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(PL. Háncine aetatem éxercere méi me amoris grátia? 626
PE. Quíd ais tu? itane tíbi ego uideor óppido Acherúnticus? 627
Tám capularis? támine tibi diu uídeor uitam uíuere? 628
Nam équidem haud sum annos nátus praeter quínquaginta et quáttuor, 629
Cláre oculis uideó, sum pernix, mánibus pedibus móbilis. 630
PA. Si álbicapillust híc, uidetur ne útiquam ab ingenió senex, 631
Ínest in hoc emússitata súa sibi ingenua índoles. 632
PL. Pól id quidem experiór ita esse ut praédicas, Palaéstrio: 633
Nám benignitás quidem huius óppido adulescéntulist. 634
PE. Plús dabo quam praédicabo ex mé uenustatís tibi.) 651
Át tibi tanto súmptui esse míhi molestumst. PE. Mórus es. 672
Nam ín mala uxore átque inimico sí quid sumas, súmptus est: 673
Ín bono hospite átque amico quaéstus est quod súmitur, 674
Deúm uirtute est te únde hospitio accípiam apud me cómiter: 676
És, bibe, animo obséquere mecum atque ónera te hilaritúdine. 677
Líberae sunt aédes, liber sum aútem ego, mi uolo uíuere. 678
PA. Tú homo et alterí sapienter pótis es consulere ét tibi. 684
PL. Huíc homini dignúmst diuitias ésse et diu uitám dari, 723
Qui ét rem seruat ét se bene habet suísque amicis úsuist. 724
PA. Ígitur id quod ágitur hic, nunc prímum praeuortí decet. 765

Versu 631 scripsi *albicapillust*, v. 678 *mi*, quia sub voce 'metu', quae est in *BCD*, videtur *mihi* latere, versu 765 *hic nunc* scripsi pro codicum scriptura hic.

In eis quae sequuntur utrumque *itaque* initio versuum 777 et 778 positum fortasse indicio est versum 777 altera recensione adiectum esse. An versus 778 verba Pleusiclis continet, cui Palaestrio hanc rem alia occasione data narraverat? Num 779 et 780 altera recensione adiuncti sint, in medio relinquo. Potest etiam v. 779 e duobus versibus conflatus esse, ita quidem ut finis alteri *(— cupiunt)* alteri caput desit. Ex versu 781 conicias in aliqua fabulae actione plura dicta fuisse quam quae hic in codicibus scripta sunt, ut fortasse etiam versus 781 iure deleatur.

Scaenae finem apparet incommodum esse, ne dicam ineptum. Ego num versus 805—812 ab retractatore qui ipsum quoque Pleusiclem institui cuperet adiectos esse iure suspicer nescio. Si adulterini sunt, eorum loco pauca quaedam genuina intercidisse credibile est nec tamen consentio cum Schmidtio p. 369 sqq. — putat enim apud Plautum hic locum habuisse ea quae infra v. 1176 sqq. leguntur —, nam nihil offensionis habent illo loco.

In tertia scaena actus tertii versus 904 (906?)—914 vel etiam — 921 supervacaneos eisque repugnantes quae Acroteleutium supra v. 878 sqq. dixerat posteane adiectos esse dicam dubito. Omnium maxime versus 914 et 881 inter se contrarii sunt, nisi quis forte credere mavult Acroteleutium Periplectomeni quidem reicere, ipsius tamen architecti Palaestrionis desiderare institutionem. Praeterea versus 922 *nempe* institutionis initium videtur significare (cf. idem *nempe* v. 906). Quamquam etiam Plautus ipse huius modi ambages ac salebras admisisse potest.

Versibus 1287—1289, quos *A* omisit, retractatoris vestigium deprehendimus certissimum. Sine dubio in eo exemplari, unde petiti sunt v. 1287—1289, etiam alia exempla allata erant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Versus 1295 contra, si quid video, iniuria deletur. Est sane insulsus, sed illa insulsitas huic loco aptissima mihi videtur. Pleusicles enim subito militis adspectu ita perturbatur ut post prima verba quid adiciat nesciat. Primus versus 1292 egregius est ac philosopho dignus, sed iam proximi versus multo inferiores sunt, versus autem 1295 ineptus est. Mihi haec gradatio ad minus quae dicitur optima videtur esse, ac si verba bene pronuntiata sunt ab histrione, effectu non caruerunt. Insulsitas enim in poeta comico interdum non solum ferenda sed concupiscenda est: habemus hic expressam vitae imaginem, nam solent homines tali occasione data ineptissima quaeque halucinari.

Haec retractationis vestigia deprehendisse mihi videor. Sequuntur emendationes.

III.

OSeyffertus in Bursiani annalium vol. 84 Berol. 1896 p. 2 dicit: '*Wer sich ein Bild davon machen will, wie verschwindend geringen wirklichen Gewinn die landläufige Art, Textkritik zu üben, trotz ihrer Überfülle, abwirft, der überzeuge sich, wie wenig von den in der folgenden Zusammenstellung gesammelten kritischen Beiträgen zu den einzelnen Stücken in dieser (der kleinen Götz-Schöllschen) Ausgabe Verwertung hat finden können.*' Ego his verbis relatoris diligentissimi litterarum Plautinarum adsentiri non possum. Quod enim de Plauto contendit Seyffertus, id vereor ne in unoquoque antiquitatis scriptore emendando ita se habeat. Quo autem plures homines docti veteri illi Sarsinati sedulo operam dabunt, in quo omnis accuratior cognitio linguae latinae nititur, eo magis sperari licebit fore ut si non recta at per ambages, quoad eius in rebus tam difficilibus fieri potest, ad veritatem accedatur. Quam ob rem omni quidem modo tentandum erit ut corruptelis quibus verba poetae per temporum longinquitatem pessumdata sunt obviam eatur, sed maxime usui erit id coniecturarum genus quod viam ab ea qua antehac itum est diversam monstret. Quod etiamsi proposita coniectura verum non assequare, alii ut vestigiis tuis insistant adducentur coniunctaque multorum opera id efficietur quod uni non contigerat. At quae aliorum coniecturae recipiuntur ab editoribus? De hac quaestione saepenumero mecum meditabar. Tria potissimum desideranda sunt: unum ut coniectura sententiae conveniat, alterum ut loquendi usus observetur, tertium ut quam minime recedas ab optimorum codicum auctoritate. Quae autem satisfaciat his condicionibus recipiturne ab editoribus? Minime. Dixi in Fleckeiseni annalium vol. 135, 1882 p. 780 ad Militis versum 438: *Otto Ribbeckius in recenti editione Militis Gloriosi ad versum 438 haec habet 'domare monstra codicum conatus sum': credo equidem haec monstra perdomuisse me in perpetuum, ut non modo Plauto digna hic dedisse, sed genuina Plauti verba ipsa in integrum restituisse mihi videar.* Sed haec spes me fefellit: quamquam enim Hugo Ilbergius, huius gymnasii regii tum rector optime meritus idemque Plauti, quem edere in animo habebat, scientissimus, hanc ad me chartam misit, quam etiamnunc asservo: *Coniecturam vere palmarem atque ita comparatam, 'ut contra si quis sentiat nihil sentiat', congratulamur*, non recepta est ab editoribus. Nec tamen ulla litterula in mira illa codicum corruptela a me mutata est, omnia enim recte se habent, dum modo vel litterarum coagmentationem vel vocabulorum distractionem recte expedias. Vide illam commentationem p. 782. Verum tamen apud Lorenzium Vssingium Leonem etiamnunc Spengelii coniectura tenetur, etiamsi quod versu 436 in omnibus codicibus est *dicere* Glycerae nomen per se veri simillimum suadeat necesse est; *clicere* enim = Glycerae; pro *cl* litteris saepe *d* in codicibus exstat, cf. Milit. Glor. 223 Intercludite *BD* Inter dudite *C*, 614 pleusides CD^2Z pro Pleusicles, argum. II 13 dientam *CD*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pro clientam, 1177 nauderico D^3 et quae sunt similia multa. Accedit quod in *δικαίᾳ*, quod illi legunt hoc versu, mediam syllabam falso corripi apparet, vide etiam v. 808.

Item versu 997 in verbis *domo si bitat dum huc transbitat* nihil praeter *c* in *t* mutatum, sententia autem optima est nec tamen haec FrLeonis coniectura, quam a me quoque ante Leonem factam cum Fleckeiseno multisque aliis hominibus doctis communicaveram (vide commentat. Fleckeisen. p. 181) est recepta.

Soleo ego coniecturas meas saepenumero per multos annos, priusquam edo, in scriniis meis reservare, quo fieri potest ut alii interea in eandem coniecturam incurrant. Sicut ego v. 855b coniecturam meam *eam plenam inanem fieri poenast maxima* iam anno 1891 per litteras OSeyfferto qui eam non probabat indicaveram. Nunc eadem coniectura, nisi quod in fine scripsit *poena maximast*, denuo facta est a Stowassero in annal. gymnas. Austriac. XLIII 1892 p. 28.

Spero fore ut quas hic proponam coniecturae, quibus Plauti manum restituisse mihi videor, magis arrideant editoribus.

Ac primum quidem liceat Plautina resuscitare in loco qui est in fine primae scaenae v. 78, ubi apud omnes Plauti editores legitur *age eamus ergo*. Cum codices Palatini discrepent — habent enim: Age temus *C* Agetemus *D* (*B*, ut interdum fit, deterior hoc loco est, in quo Agetenem' ante correcturam scriptum erat, quod deinde in Age eamus mutatum est) —, iam Pareus *Agite eamus ergo* coniecit, Studemundus autem *annal. XXVII 1881 II 45: Agite ergo eamus* et Stowasserus *Zeitschr. für die oesterr. Gymnas. XLIII 1892 p. 25: Age itemus.* Verum tamen huius loci medicina nondum inventa est, quamvis codicum scriptura si rectius examinetur emendationis viam commonstret. Praeterea id quod Plautus scripsit multo lepidius subtilius elegantius est quam trita illa ac vulgaris locutio *age eamus*.

Priusquam autem coniecturam meam proferam, haec praemittam. Cum foeda in patronum adulatione, quam ut famem depellat alias semper prae se fert, Artotrogus hoc loco procacem quandam sociat impudentiam et ostentationem, ut hodie quoque — homines enim omnibus temporibus eidem fuerunt — in blanditiis famulorum auribus eri vel erae servientium insolentiam et humilitatem saepenumero mirum in modum mixtam videmus. Hoc maxime ita fieri apparet ut famulus assentetur in eis quae ero placitura scit.

Praeterea tenendum est et codicum Palatinorum archetypum et codices Palatinos ipsos, id quod ex magna copia locorum a me collectorum facile est ad demonstrandum, partim transcribendo expressos partim dictante alio scriptos esse, unde magnam corruptelarum multitudinem fluxisse manifestum est. Sic etiam *t* et *d* litterae et inter se commutari potuerunt et in Milite Glorioso haud raro commutatae sunt velut v. 765 *it* pro *id C*, versu 771 *quamatre BCD* = *quamadrem*, cf. 919 *at sunt* et *at eam*, v. 1001 in *B* pro *laute* scriptum est *laude*, 1040 pro *te demoritur* in *B* habetur *de te moritur*.

Quid opus est pluribus verbis? Scribo v. 75 sqq.:

Nam rex Seleucus me ópere orauit máxumo
Vt síbi latrones cógerem et conscríberem.
Regi húnc diem mihi óperam decretúmst dare.
AR. Age démus ergo. PY. Séquimini, satéllites.

In desperatorum locorum numero referendus est versus 919. Multos multorum tollendae corruptelae conatus praetermitto, qui ad unum omnes a codicum memoria ex

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

parte longe distant. Priusquam autem ad ipsam versus emendationem accedam, paucis dicendum erit de re quam recentioribus temporibus saepius commemoratam video, de codicis *B* auctoritate. Cum enim vetus ille codex Camerarii adhuc pro certissimo fundamento crisis Plautinae praeter *A* habitus esset, nuperrime de hoc honoris gradu deici coeptus est: dicitur de horrenda codicis *B* in Milite Glorioso pravitate et quae sunt similia. Cum igitur in hanc rem accuratius inquisivissem, cognovi verum ut saepissime sic item hic in medio, quod aiunt, situm esse. Nonnullis sane locis *B* deterior est quam *CD*, sed tamen paucioribus: maneat ergo *B* codicem etiam in Milite Glorioso, si discesseris ab *A*, optimum praesidium in re critica factitanda esse. Quod si in loco nondum sanato miri quid, quod recedat ab reliquorum Palatinorum memoria in codice *B* invenitur, haec scriptura non praeiudicata opinione pro falsa habenda nec praetereunda, sed accuratissime examinanda erit. Quod ab editoribus neglectum est hoc loco, ubi nullam dubitationem movent verba *adsunt (B, atsunt CD) fabri architectique ad eam* (?) *haud imperiti.* Pro *fabri* in Palatinorum archetypo *eabri* fuisse corruptela et codicum *CD* et ipsius quoque *B* testatur. Nam posteriorem partem monstruosi illius verbi *muliebria*, quod in *B* est, nusquam alio spectare manifestum est nisi ad ẽbri = eabri, quod *CD* etiamnunc habent (cf. Asin. 4 *Eace* pro *Face*, Casin. 361 *Eo dico* pro *Fodico* et quae sunt similia multa). Quo quidem scribendi mendo aperte cognoscitur Palatinorum archetypum si non ipsum maiusculis litteris scriptum fuisse, id quod non credo, at redire ad librum maiusculis litteris scriptum. Praeterea aliquid versus initio deesse certum est: in fine enim, ubi Pylades post *ad eam* inseruit *rem* nihil requiritur. Cuius lacunae sedem post *adsunt* esse ipse codex *B* documento est, qui habet aliquid ubi reliqui codices nihil habent: monstrum verbi *muliebria* dico. Cum autem altera pars huius verbi interpretanda sit *eabri* = *fabri*, restat *muli*. Hoc *muli* per se nihil est: de mulis enim hic cogitari non potest, quamquam Trucul. v. 551 *ite, ite hac simul, muli eri damnigeruli* servi mulorum in modum onerati hoc verbo significantur. Praeterea *mulus* in convicium abiit Mostell. 878, cf. etiam Catull. 83, 3: *Mule, nil sentis* (Dummkopf). Quam ob rem ego *muli* hoc loco reliquias verbi ⟨*fa*⟩*muli* esse mihi persuadeo. Verbum quod sequitur *fabri* eisdem litteris *fa* incipit, ut scribentis oculi facillime aberrare potuerint, id quod sescentiens factum esse constat.

Iam si mecum adicias litteras *fa* in proximo verbo redeuntes, in versu misere deperdito, si metrum spectes, omnia rectissime se habitura concedendum erit:

adsúnt famuli fabri árchitectique ád eam haud imperíti

atque haec summa emendationis facilitas non potest non magni momenti videri. Nec quid significet illud *famuli* dubium esse potest. Infra enim v. 1154 sqq. enumerantur in fallendo adiutores:

Domi ésse ad eam rem uídeo siluaí satis:
Múlieres tres: quártus tute's, quíntus ego, sextús senex.
Quód apud nos falláciarum séx situmst, certó scio,
Óppidum quoduís uidetur pósse expugnarí dolis.

Sunt enim Palaestrio Periplectomenus Pleusicles Acroteleutium Milphidippa Philocomasium, quo in numero non dubitandum est quin Palaestrio et Periplectomenus architecti appellentur, id quod vel ex eis apparet quae v. 874 sqq. explicantur. Iam vero utrum *famuli* et *fabri* inter se diversi sint an, id quod malim, *famuli* vox sit adiectivum, ego in medio relinquo. De usu huius verbi dubitari non potest, cf. Horat. carm. III. 1. 5 caementa demittit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

redemptor cum famulis. Alter locus Plautinus ubi eadem vox reperiatur sane non exstat: sed hoc nihil ad rem, locutio enim per se perspicua est, quamquam non, ut videtur, a Plauto profecta qua de re supra p. 25 dixi. Haud tamen scio an in fine versus pro *ad eam* rectius scribatur *ad rem*, quae coniectura facilem habet explicatum: ATEAM et ATREM inter se simillima sunt (*at* pro *ad* in omnibus codicibus hic exstat).

In fine versus 1013 fortasse *consiliorum* a Plauto scriptum est. Studemundus nihil in Ambrosiano cernere potuit nisi incertissimam litteram O et ~ = M (vide apogr. Studemundi). Tertium versus vocabulum *conciliorum* (*BCD*[1]) non *consiliorum* (*D*[3]*FZ*) esse certum est, extremum autem in omnibus codd. Pal. est *consiliarium*. Vt igitur non *consiliorum*, sed aliud quid Plautus scripserit, fortasse emendandi ratio ineunda est a criticis diversa, qui cum *celatorum* vel *insidiarum* vel *considiorum* vel *concelatum* scripserunt, in depravato vocabulo genetivum latere crediderunt: fortasse aliud quid latet. Quamquam Plautus adiectivo *consiliarius* usus est sicut alii, tamen etiam *consiliaris* forma per se aeque bona in usu fuit (cf. lexica). In hoc genere geminarum formarum non offendendum est: *hilarus* et *hilaris* utrumque Latinum est et ipse quoque Plautus Capt. 112 *singularius* adhibuit, quamquam alia significatione atque *singularis*. Accedit quod hoc loco mensura vocabuli *consiliarius* ad anapaesticum metrum minus apta erat. Propono igitur v. 1013:

Sociúm tuorum concíliorum et partícipem, consiliárem

credoque formam usitatam *consiliarium* ab aliquo ad explanandam rariorem formam *consiliarem* adscriptam deinde in verba poetae ipsa irrepsisse.

In apparatu Goetziano ad versum 1409 adscriptum est, '*locus nondum emendatus*': ego locum emendasse mihi videor. Manifestum sane est vera Plauti verba iam antiquis temporibus depravata esse. Solus *B* in *niliblo* veri vestigium retinuit, sine quo in aeternum hic caeci essemus. Codicum memoria haec est:

A: LOQUERE_____STUIDUAMKERCLEESSE
CENSUI

Studemundus dicit in adnot. '*quid in magna illa fenestra (post septimam litteram) exstiterit, dici nequit. spatio (ductus enim fere nulli supersunt) satisfaceret uelut haec lectio* NONDUMAMEFACTUME(STUIDUAM); *atque ante 18*[am] *ab exitu litteram* FACTUME *exstitisse ueri est simillimum.* Post FACTUMEST igitur, si haec verba ipsa exstiterunt in *A*, nullum personae spatium in *A* fuit. non dum niliblo factus *B*. nondum donec factum est *CDZ*. *ante* uiduam (uidua *B*) esse censui (hercle *unus A habet*) PY. militis nota in *B* et in *D*[2], in *CD*[1] nulla personae nota est.

Camerarius scripsit *nondum nihili factus*, Ritschelius *dum non nihili factu's*, Bergkius *donicum ne factumst*, Stowasserus *l. s. s. p. 26 adn.* duo inter se mixta esse credit: Loquere, nebulo. — Nondum factum est *(B) (Pyrgop. will sagen, daſs eigentlich noch gar nichts vorgekommen sei)* et: loquere, nondum donec factumst *(CD)* '*sprich, so lange es noch nicht geschehen ist*' (!). Schoellius *praef. ed. min. p. XVIII* proposuit: Loquere. nondum, donec factumst *(i. e. nondum dispennite (cf. v. 1407) donec locutus sit miles)*, idem *nili* in *B* ex interpolatione repetens. Leo legit: PE. Loquere PY. non volui nec factum est: viduam hercle esse censui '*non volui sc. subigitare alienam uxorem, ad quam quaestionem respondere nondum satis potuerat; sed verbum sane incertum.*'

Ego scribo:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PE. Lóquere. PY. non de níhilo factumst: uíduam hercle esse cénsui. Miles, quem puer dolo Periplectomeni domum allexerat, quasi in adulterio deprehensus ubi verbera et evirationem, solitam moechorum poenam, sibi imminere sentit sese excusat cum dicit se non ultro, sed oratum venisse et cur ire ausus sit interrogatus respondet non sine causa se isse, ab ancilla conciliatrice se comperisse viduam illam esse. In verbis nihil mutavi nisi *dum* in *de* et *niliblo* in *nihilo*. Cur *de* in *dum* corruptum sit ignoro, fortasse *e* superscriptum pro ~ lectum est. Vnum moneo 17 litteras cum personae spatio optime in Ambrosiani fenestram convenire, ac si forte nimis multae sunt, *nilo* in *A* pro *nihilo* fuisse potest. Ad falsum illud in *B: factus* pro *factum est*, quod *CDZ* habent, cf. versum 180, ubi in *A* PEREUNDUSET legitur pro *pereundum est*, quod est in *FZ*. pereundū si (= pereundumst) *B*.

De nihilo = sine causa et sine negatione et cum negatione usurpatur cf. Curc. 478 *qui alteri de nilo audacter dicunt contumeliam*, Ter. Hec. 727 *non hoc de nihilost, quod Laches me nunc conuentam esse expetit* cf. etiam Truc. 769 *de nilo nil est irasci, quae te non flocci facit.* Propert. II. 3, 16 *Non sum de nihilo Claudus amator ego* II. 16, 52 *Non hoc de nihilo est* eademque locutio apud Livium et Macrobium invenitur.

V. 1430 denique *A* habet NAMILLICQUIOBOCULUMKABEBATLanam nauta NONERAT (quod descripsi litteris minusculis in *A* legi non potest), a qua scriptura Palatini codices discedunt cum habent: nam ille qui lanam ob oculum habebat. Alii alia scripserunt, ego Ambrosianum in collocatione verborum secutus scribo:

nám illic qui ob <laeuom> óculum habebat lánam nauta nón erat.

Hanc emendationem iam diu a me factam anno 1891 per litteras cum OSeyfferto communicaveram.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PE. Lóquere. PY. non de níhilo fa
Miles, quem puer dolo Periplectomeni domu
verbera et evirationem, solitam moechorum p
dicit se non ultro, sed oratum venisse et cur
causa se isse, ab ancilla conciliatrice se c
mutavi nisi *dum* in *de* et *niliblo* in *nihilo*. C
superscriptum pro ~ lectum est. Vnum mor
Ambrosiani fenestram convenire, ac si forte nin
Ad falsum illud in *B: factus* pro *factum est*
PEREUNDUSET legitur pro *pereundum est*,

De nihilo = sine causa et sine negatio
alteri de nilo audacter dicunt contumeliam, Ter. H
conuentam esse expetit cf. etiam Truc. 769 *d*
Propert. II. 3, 16 *Non sum de nihilo Claudus an*
locutio apud Livium et Macrobium invenitur.

V. 1430 denique *A* habet NAMILI
NONERAT (quod descripsi litteris minusculis
codices discedunt cum habent: nam ille qui
ego Ambrosianum in collocatione verborum s

nám illic qui ob <laeuom> ócu

Hanc emendationem iam diu a me
communicaveram.

ensus ubi
usat cum
non sine
rbis nihil
fortasse *e*
optime in
sse potest.
ubi in *A*
dumst) *B*.
c. 478 *qui*
s me nunc
locci facit.
eademque
am nauta
a Palatini
cripserunt,

OSeyfferto

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf